

Petrus de Vinea

*Ep. V 2 (Ne, diuino instinctu
precognito, ars ausu...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 2 (Ne, diuino instinctu
precognito, ars ausu...)*

marzo 1249

Capitaneo, ut procedat ad uindictam cuiusdam proditoris.

1. Ne, diuino instinctu precognito, ars ausu precipiti furiosa de suo irrationabiliter facinoroso triumphet actore, in lesae maiestatis nostrae crimine deprehensum, post multa uariaque tormenta, ut unius sit eius pena timoris incussio plurimorum, penam subire decreuimus capitalem. Sane, ut nostri regnicolae, precognitis undique stipendiis meritorum, maioritatem personae in meditationis trutina cum criminum enormitate suspendant, magnifica beneficia sibi a nostra maiestate collata necnon ipsius enormitatis excessus ad notitiam perferri uolumus singulorum. 2. Porro hic est, qui de terra fertilitatis eductus caducarum rerum opulentia ad uotum et ultra extitit fecundatus. Quare, immoderate lasciuiens animo, qui plerumque animo consueuit rebus luxuriare secundis, ministerii occasione latentis sedulus, de preconcepto transgressionis fomite mortis haustum ei studuit propinare, a quo multorum salus et incolumitas procuratur: uolens cum homicidio, immo potius cum homicidiis omnium illorum, quorum uita dependet ex nostra, lesae crimen committere maiestatis. 3. Vnde salubris prouisionis consilio, nequitiae passus metiendo cum passibus pietatis, quod proditorum deleret genimina et factionum fluuium desiccaret, edixit cum consilio procerum diuino programme imperialis excellentiae magnitudo, ut idem ..., terras et partes singulas Regni nostri cum impropriis peragat et tormentis, ultimum postremo supplicium subiturus. Instar enim pietatis est, in huiusmodi sceleris correctione fuisse crudelem. 4. Quare, nec diei reuerentia retardet crudelitatis, quin immo pietatis, officium, nec festis diebus reus lesae

crimine maiestatis a principe, aduersus quem talia molitus est, ueniam digne poterit expectare: nam, si festa dies non cessat perdere furem, quanto minus desistet penam infligere huiusmodi proditori. 5. Exequaris igitur tamquam nostri iudex propositi, ut effectum operis clareat, quantum habes odii in tam immensi sceleris patratores. Nec te moueat, quod ad effectum non duxerit, quod intendit, quoniam non debet uindictam effugere, quem tam diri conscientia facti mens habet attonitum, et surdo uerbere cedit. Has enim penas patitur sola peccandi uoluntas: nam facti crimen habet in se scelus, qui cogitat illud, etiam si cursum facinus non attigerit peroptatum.